ut essemus sancti et inmaculati in conspectu eius in caritate Qui
praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum proposi-
tum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae in qua ~~glorificavit~~ gratificavit nos
in dilecto filio suo in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remis-
sionem peccatorum secundum divitias gratiae eius Quae superabundavit in nobis
in omni sapientia et prudentia ut notum faceret nobis sacramentum volun-
tatis suae secundum bonum placitum eius quod proposuit in eo in dispensa-
tione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quae in caelis et quae in terra sunt
in ipso In quo etiam et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius
Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae ut simus in laudem gloriae
eius nos qui ante speravimus in Christo In quo et vos cum audissetis verbum
veritatis evangelium salutis vestrae in quo et credentes signati estis spiritu promissi-
onis sancto qui est pignus hereditatis nostrae in redemptionem acquisitionis in
laudem gloriae ipsius Propterea et ego audiens fidem vestram quae est in
Christo et dilectionem in omnes sanctos non cesso gratias agens pro vobis memo-
riam vestri faciens in orationibus meis ut deus domini nostri Iesu Christi pater gloriae
det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius illuminatos
oculos cordis vestri ut sciatis quae sit spes vocationis eius et quae
divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis et quae sit supereminens eius
magnitudo virtutis eius in nos qui credimus secundum operationem potentiae vir-
tutis eius quam operatus est in Christo suscitans illum a mortuis Et
constituens ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum et potestatem
et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo sed et in

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_121_2/0056

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG